

N. Disdorp.
Carmen de renovatione
foederis inter civitates
Tigur., Bernens. & Argentor.
Argent., 1588.
30², -161.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

30:2, - 161
4°
(LN bis 229)
DA BOX
BIBLIOTHECA REGIA · HAFNIENSIS ·
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

267

CARMEN
DE AVSPICATA
FOEDERIS VETVSTI, INTER TRES PRINCIPES AC POTENTISSIMAS CIVITATES, TIGVRINAM, BERNENSEM, ET ARGENTINENSEM, *renouatione, facta III. Idus Maias. Anno Domini* CIↃ. IↃ. XIIC.

AD

EARVNDEM CIVITATVM INCLYTISSIMI SENATORII ORDINIS VIROS Illuſtres, Nobiles, & Magnificos, Dominos ſuos clementiſſimos.

Ominis fauſti & obſeruantiæ ergò Scriptum à

MAVRITIO DISDORPIO HOLSATO.

ARGENTORATI
Excudebat Antonius Bertramus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

BIBLIOTHECA REG. HAFNIEN.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

FElix illa dies, quâ ſpectat rura Trebocum
Heluetici coràm turba ſuprema ſoli.
Felix illa dies longo memoranda ſub ævo,
Quæ populi proceres liberioris alit:
Hîc ubi præclaras inter caput extulit urbes
Teutonici, Argyrope, gloria prima ſoli:
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,
Surgit & elatis pinus acuta comis.
Argyrope, Domino venerantur flumina Rheno
Cum pia quam, flexo poplite dona ferunt.
Argyrope Aonidum cultrix operoſa ſororum,
Quàm ſtudij pacis quàm pietatis amans:
Virtutum ampla domus diuini juris aſylum,
Iuſticiæ portus firma carina ſacræ:
Inſignesq́ colit, totus quos ſuſpicit orbis,
Conſilio, ſtudijs, ingenioq́ Patres.
Quando opus eſt ſurgunt animoſi in prælia cives,
Pro patriâ dulci, legibus, atq́ focis.
Plenaq́ divitijs ſunt atria, cernitur illic
Quicquid habet tellus æquora quicquid habent.
Auro ſtant nitidæ, pictæq́ coloribus ædes,
Exornant ſolido marmore tecta domus:
Quæ ſuperant veteris præcelſa palatia Romæ:
Hinc aliquis magnas æſtimet urbis opes.
Ardua conſurgunt quadrato mœnia ſaxo,
Mœnia bellaci non violata manu.

Circùm

Circum Pampineis pariunt iuga ſumma racemis
Flauaq́ arenoſo dulcia vina ſolo.
Diues habet nullam Germania mœnibus vrbem,
Tota nec Arctoo terra ſub axe parem.
Hæc fouet optato donec ſibi fœdere iunctos
Splendore illuſtres magnificosq́ viros:
Auguror en rerum gaudens natura fauebit,
Fœderibus ſpondens proſpera fata nouis.
Clara rubeſcentis reſerat pia limina cœli,
Quadrijuges iungit quæ Dea lucis equos:
Aureus Oceani roſeo cum lumine Phœbus
Immenſi, Heſperias eſt aditurus aquas:
Et polus & rerum facies decorata coruſcat:
Purpureis reſonat gratior aura roſis:
Cynthia quinetiam tremula ſub nocte fauebit,
Gaudia quæ capiant pectoris ima docens.
Inque vicem latas certantia ſydera partes
Plus ſolito cœli candidiora tenent.
Sanguinis Heluetici, vos, ô pars optima, teſtor,
Vultibus vrbs veſtris gaudia quanta capit.
Vt procul aduentus aliquorum ſermo docebat,
Pectora cunctorum ſenſus amoris habet:
Vix benè contigerat dominantis Conſulis aures,
Certaq́ vix patribus, fama relata fuit:
Mox coit Imperij cum nobilitate Senatus:
Omnis in occurſum turba parata ruit.

Quin.

Quingenti iuuenes lecti de ciuibus ibant,
Tranſuerſo cincti militis enſe latus:
Ponè ſequebantur ter centum prælia Martis
Eſſe quibus ſæui cognita dira ſolent.
Et bona cornipedum pars terga premebat equorum,
Cuius ab aſpectu ſplendidus ordo fuit.
Fœmineus pariter chorus, innuptæq; puellæ
Serta ſuis hylares implicuêre comis.
Exultabat ouans animis plauſuq; fremebat
Quilibet, in facie pignora mentis habens.
Campus odoratis nitidiſsimus adiacet herbis,
Mollis & aprico gramine terra viret:
Hic vbi legatis equitum noua turma propinquat,
SYNDICVS ore ſuo verba diſerta dedit,
Cuius, &, eloquium viuo Cicerone probaſſet,
Quod patet, in medio florida Roma foro:
Anxia quod votis optabant mœnia, finem
Iam deſiderio lætior hora tulit.
Illa dies nobis erit hinc ſacrata quotannis,
Pectora quæ nobis veſtra videre dedit.
Saluete illuſtres animæ, noua gloria terræ
Alſaticæ quoniam parta perennis erit:
Auſpicyſq; bonis toties & numine fauſto,
Vos precor ô noſtram tangere lætus humum.
Nouimus, hûc ſubitò properantes nulla quietis,
Nulla voluptatum cura morata fuit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

Noctes atq; dies per inhoſpita ſaxa per Alpes
Scimus, & aßiduam vos tenuiſſe viam.
Quare agite ô tectis proceres ſuccedite noſtris,
Hic dabitur vobis quà licet apta quies.
Sic ait: & portas conjuncti intrare parabant:
Tympana cum raucis ſigna dedêre tubis:
Machina ſulphureas jaciebat ahenea glandes,
Cuius humi ſternens mœnia pulſat onus:
Vndiq; confremuit cœlum, ceu fulmine miſſo,
Cum venit æthereo magnus ab axe fragor.
Sic ſic magnanimos excepit Roma Quirites,
Si qua triumphandi gloria parta fuit.
Interea Oceani Phœbus procedit ad oram,
Et celer occiduas pingere gaudet aquas.
Mœnia mittentes Prechteri tecta ſubibant,
Antè quod hoſpitium conſtituêre Patres.
Protinus ecce venit cum nobilitate Senatus,
Vina ſatellitibus multa ferenda dedit.
Aſtat & arte potens & divite menſa paratu,
Principibus qualis ſternitur apta viris:
Atq; laboratæ veſtes oſtroq; ſuperbæ,
Aureaq; aſtabant pocula mille mero.
Regia ducebant patrio convivia ritu:
Paſſa fefellerunt tædia longa viæ,
Poſtera vix nitidos aurora reduxerat ortus,
Vmbra ſophoriferæ pulſaq; noctis erat:

Cum pia mox adeunt Divi ſacraria Thomæ
  Namq; dies illo tempore feſtus erat:
Poſt victu revocant vires: menſa inde remota,
  Vrbis monſtrari dona beata petunt.
Auguſtum templum, juxta quoq; turris ibidem
  Proſpiciens latos vertice luſtrat agros:
Surgit, & excelſum caput inter nubila condit,
  Et ſummis æquat ſydera clara jugis:
Tota toreumatibus pictiſq; exciſa columnis
  Flabilis & luci pervia tota patet:
Inſignis galea, nunquam violabilis ictu:
  Amplo nulla videt terra ſub axe parem.
Huc ubi deducti procerum comitante caterva,
  Suſpexêre diu nobile regis opus:
Cumq; ſatis ſenior ſpectaſſet, numina, dixit,
  Molem non homines hanc poſuiſſe reor.
Hæc ubi dicta dedit, ſacras celerabat ad ædes,
  Quæq; pij cives templa propinqua colunt,
Magnanimos inter proceres equiteſq; ſecutos,
  Quorum turba frequens ac populoſa fuit:
Hîc videt illud opus noſtro memorabile ſeclo
  Quod magni effigies, quod ſit imago poli,
Tempora quod ſignet (mirum) revolubilis anni,
  Lapſaq; ſub terras ortaq; ſigna notet.
Solum opus, auditu, dictu, viſuq; ſtupendum,
  Aſtra, polos, cœlos, tempora, ſigna gerens:

Vincitur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

Vincitur arte potens Europa atq; Africa longè
Tellus hac, Aſiæ regna ſuperba ſimul.
Tumq; ætate grauis ſenior ſic ora reſoluens
Hæc ea ſunt, dixit, quæ monumenta vides,
Quæ prius egregiè noſtris vagus hoſpes in oris
Commendans celebri laude referre ſolet.
Poſt vbi diuinus myſtes ſua ſacra peregit,
Namq; omnes præſtò dum faciebat erant,
Itur & vlterius ſocio ſtipante Senatu,
Cernat vt ingentes fœdere iunctus opes,
Atq; ſtupenda ſuis armamentaria monſtris,
Ordo ſtupor, nouitas, copia tanta ſtupor:
Hæc aliquis Scythica puto ſi regione videret
Turca, daret turpem barbarus ipſe fugam.
Qui, propè ſe, campus ſeruit iaculantibus, offert
Hinc oculis, iuxta tilia fronde viret:
Bombardis certant iuuenes leuibusq; ſagittis,
Dant quoq; militiæ ſigna futura ſuæ.
Nec lepidi deſunt fontes cum murmure rauco
Qui ſaliunt, dulces qui iaculantur aquas.
Multa ſciens equidem memoratu digna tacebo,
Veſper enim liquidis exerit ora vadis.
Poſtea Phœbea luſtrabat lampade tellus
Aurora, & vmbras mouerat alta polo:
Iudicij ſedes & ad alta Palatia tendunt,
Quisque quod inſtabat ſedulus vrget opus.

O magni

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

O magni proceres. ô ſanctior ordo Senatus:
Perſtringunt tanti lumina noſtra viri,
Splendida regali quos purpura veſtit amictu:
Talis priſca tuus ROMA ſenatus erat.
Orando populi qui ſumma negocia tractat,
ÆSCHERVS celebri nomine, iuſſus ait:
Quàm rerum triſtis Germania forma tuarum,
Triſtis & Imperij quàm ſtatus ille tui:
Omnia diſsidijs ſunt omnia plena tumultu:
Illa fuit quànti res tibi cauſa mali:
Teſtis adhuc extat miſerandæ Francia cladis,
Tota cadaueribus ſquallida facta ſuis.
Ipſaq́ fertilibus celebranda Alſatia campis,
Mœſta tulit multis maxima damna malis.
Ipſa recens extat populoſa Polonia teſtis,
Dum tepido tellus tincta cruore rubet.
Vt pars vlla tuo ne poſsit abeſſe dolori,
Hiſpanus tragica viſcera lance petit.
Turca tuas dirus deſcendere nititur oras,
Grandior illa tibi cauſa doloris erit.
O pater Omnipotens maneat te cura ſalutis
Quaſſatæ, validam ferto benignus opem.
Nos igitur quoniam ſupereſt ea ſola poteſtas,
Conſcripti illuſtres magnificiq́ Patres,
Vobiſcum felix precor ô ſit iungere pacem
Æternam cupimus, fœdera ſancta pij:

Vt quando infeſtus noſtros populabitur agros
Hoſtis, & aduerſo pectora Marte petet,
Auxilium à vobis certum ſperare queamus,
Præſentem & miſeris poſcere rebus opem:
In paribus contrà, ſi quisquam ſæua mouebit
Caſibus, in veſtros impius arma lares:
Vltrò vulneribus noſtris & ſanguine fuſo
Mœnia tutari mutuus ardor erit.
Non ita ſi fiant rerum mutabitur ordo,
Inq; ſuos fontes verſa recurret aqua.
Sic ait: & proceres cuncti ſimul ore fremebant,
Signa voluntatem pectoris eſſe dabant.
Aſtitit, atq; oculos paulum tellure moratos
Suſtulit ad proceres, ſoluit & ora ſono,
Attica Romuleæ PAVLVS *facundia linguæ,*
Corde Themin docto qui tenet, ore Charin:
Gutture namq; velut reſoluti nubibus imbres,
Verba Pericleo culta lepore fluunt.
Omnia vera vident, minor eſt oratio rebus,
Lumina, quæ modò ſunt (triſte) relata tibi:
Illa ſuis toties Germania læta triumphis,
Ante fuit, cœlis exeruitq; caput:
Ac inuicta fuit ſemper, nullosq; per annos
Vllius inuenies hanc ſubijſſe iugum.
Roma ſuis totum domuit quæ viribus orbem,
Obuia Germanis vertere terga ſolet.

Magnus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

Magnus Alexander quid? non minitantibus armis,
Inſtituit noſtros perdere ſæpè lares?
Quid præter dedecus à noſtris quæſo reportat?
Hunc liquet incepti pœnituiſſe ſui.
Haud quicquam potuit virtus animoſa Neronis,
Funere qui Rheni nobilitauit aquas.
Ipſe dolens clamat præſtantes redde cohortes
Vare, meus miles quas dedit enſe neci.
Ad Solymas arces victricia ſigna ferebat,
Sceptriger Imperij cum Fridericus erat.
Lilia nîl magni potuerunt aurea Galli,
Dum vigor in priſco pectore priſcus erat.
Protinus interijt vis & celeberrima virtus,
Aqúe ſuis tandem degenerauit auis.
Et nunc tanta ſimul comes eſt inſania morbo,
Triſtia crudeli vulnera clade ferens:
Non ſolum externus ceruicibus imminet hoſtis,
Sed pereunt propria corpora læſa manu.
Nam modò nulla gerunt niſi bella domeſtica Reges,
Et mouet armatus prælia nemo foris.
O Germana vide tellus: tua viſcera prædo
Diripit, hoſtiles comprime quæſo manus.
O Generoſa tuis Germania conſule rebus,
Dum licet, & hoſtes pelle vocata tuos.
Nos quoque majorum pro libertate tuenda
Fortiter, & patriâ, conjugibusq́; foro,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

Numine, mille licet caſus, ſuperabimus omnes,
Aura, quod, æthereo, noſtra ſalutis erit.
Ergo data iungo ſolemnia fœdera dextrâ,
Quam fidei noſtro nomine pignus habe:
Si veniet quondam (quod Dij prius omen in hoſtem
Vertant) vt tua ſit patria preſſa malis:
Non ſecus ac noſtris pro tum pugnabimus aris,
Proque focis, animi ſigna probata pij:
Et latera aduerſos, quamuis, jungemus in hoſtes,
Lethifera ſpargant noxia tela manu:
Quo res cunq; cadent vnum & commune periclum,
Vna ſalus fuerit, vocibus adde fidem.
In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt, paſcet ſydera dumq; polus:
Semper inoblito viridantia fœdera nati,
Nati & natorum pectore pacta gerent.
Dixit: & in ſolita rurſum ſtatione reſedit:
Murmure magnates verba diſerta probant.
Ipſe ſub hoc plena cum maieſtate Senatus
Nobilis, ære ſuo temporis acta notat:
Argento ex ſolido rutilanti auroq; monetam
Inde viris gratum munus habere dedit:
Quò pia poſteritas longo ventura ſub æuo,
Hæc ſciat æterno pacta dicata Deo.
Sitq; miſer primùm quisquis periuria celat:
Nam pedibus tacitis pœna dolenda venit:

Vna

Vna ΜΝΗΜΟΣΙΝΟΝ *facie ſic littera ſignat,*
Verſa magnanimus ſuſtinet arma leo.
Ambitus & circum pro LIBERTATE TVENDA,
Nomine non alio condita pacta docet.
Vos mea compellat Proceres oratio tandem
Illuſtres, quoniam penna monebat iter.
Si quis imaginibus ſi nobilitate parentum
Clarus ab antiquo ſanguine iactat auos:
Tum neq; nobilitas nec clarum nomen auorum
Nec celebri dignum principe ſtemma deeſt:
Perpetua veſtra eſt gens libertate potita,
Seruitij impatiens, impatiensq; iugi:
Nunquid nobilitas? quin non præſtantior vlla:
Iure ſuo talis dicitur ingenuus.
Non gens aërias tranſgreſſa animoſior Alpes,
Armis qui vicit lilia magna ſuis:
Virtus nota viget terrarum veſtra per orbem,
Quà rubet Eoo candida ſole dies:
Quaq;, ſub occiduo ſe condens æquore, Titan
Aurea luciferis frena reſoluit equis.
Non Tiguri tacitus nec ſicco pede ſilerem
Excelſi laudes ſi mora tuta foret.
Vrbs eſt Heluetico nunc noſtro in fœdere princeps,
Quæ iacet herboſo condita læta ſolo.
Diues opum nulli veterum virtute ſecunda,
Æterno decorans laudis honore ſuos.

Pace ſuas mercator opes, ſua rura colonus
Poßidet, absq; metu carpit & hoſpes iter.
Terra ferax Cereris quam diues munere Bacchi:
Humida formoſæ Naiades antra tenent:
Quam mediam ſcindit viuenti LIMAGVS *vnda,*
Et vitreo circum gurgite ripa nitet:
Fontibus adde lacus & ſtagna virentia muſco,
Innumero quorum piſce natantur aquæ.
Berna vides nomen ſuperant modo carmina nobis,
Eximio poſitum conſpicuoq; loco:
Ecce Sophocleo tua carmina digna cothurno:
Hoc virtus quoniam quod mereatur habet:
Sunt tibi præſtantes animo ſunt pectore ciues
Belligeri Martis grande togæque decus:
Sæpius audaci fregiſti Marte tyrannos,
Bella quibus cordi pax inimica fuit:
Et te congeſto circumdedit aggere murus,
Qui ſuperat moles vrbs Patauina tuas:
Quodq; Tagus diuesq; vehit Pactolus, in vnum
Hoc ibi congeſtum dixeris eſſe locum:
Te præceps Araris viridi circumſonat vnda,
Atque paterna rigat flexibus arua ſuis.
Nobilis ô PATRIAE PATRES, *ô numina gentis,*
Saluete æternum pectora culta mihi.
Vltima ſuſcepti ſupereſt, quia meta laboris,
Quod iuuet & forſan ciuis habere poteſt.

Vulgus

Vulgus Io Pæan canat, altera turba triumphe,
Per loca per cunctas voce ſonante vias.
Progrediens inter fratrem charumq́ parentem,
Atq́ inter ſobolem coniuge cumq́ pia,
Obuius occurret, rerum prudentia maior
Eſt cui ſi tacito pectore, quiq́ ſapit,
Signa ferens manibus victricia patribus vltrò,
Dum redeunt, proprios dum repetuntq́ lares:
Omnis in amplexum ruat & pius oſcula figat,
Lætaq́ teſtando gaudia mentis, eat.
Conſilium tumidos horum modò reppulit hoſtes,
Quo duce libertas vindice tuta manet.
*M*AIORVM *Patriæ L*IBERTATIQ́ TVENDAE,
Hoc ſolum quantum eſt ecce dicatur opus:
Ipſa venit nunquam certo mercabilis ære,
Sed maior quò quis, carior eſſe ſolet:
Fallitur intendens aliam ſibi fingere cauſam,
Hæc grauis eſt, iuſta hæc, hæc pia, vera manet.
Quisquis es Alſaticas hoc nomine miſſus in oras,
Grande tibi partum eſt perpetuumq́ decus:
Nulla tuas vnquam virtutes nulla ſilebit
Poſteritas famam, ſit modò grata tuam:
Hiſtoriciq́ tuas laudes annalibus addent,
Qui patriæ condunt facta legenda ſuæ:
Reſpice quisquis ades terris incude recenti
Et quæ vicinis à propriore calent:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

Sis Scytha, vel procul hinc Hyrcanis Tygribus ortus,
Si memor es, gemitus pectoris ima dabunt.
Dicitur horrenda graſſatus cæde Tyrannus,
Funera crudeli ſæua dediſſe manu:
Diſſecuit raptas ad ſtupra infanda puellas,
Et quod adhuc multo plus feritatis habet:
Sæuior infixit pueros Buſiride palis,
Cuncta quibus belli parcere iura ſolent.
Perdit quæ ſecum rapere ac auferre nequiuit,
Et cremat inſontes impia turba domos.
Hæc animus meminiſſe horret luctuq; refugit:
Eiulat hinc volvens in mare Rhenus aquas:
Triſte dolent lachrymis hinc Mumpeligardica rura:
Belgicaq; hinc proprio tincta cruore, gemit.
Ergò tale tuis procul à qui finibus arcet,
Hunc pius excelſi numinis inſtar habe:
Omnis in hunc oculos defixos terra teneto:
Suſpiciat populus, deueneretur, amet.
Hactenus & celebres pompas, & amœna relatu,
Imparibus docuit vecta Thalia modis.
Sed iam digreditur: votiſq; ardentibus optat,
Fœdera fortunet ſummus in arce DEVS.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 229 [30:2,-161 4°]